



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput III. Restitutio tabelliones, apparitores, & testes obligans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)

Restitutio tabelliones, apparitores &c. 195

Peccant Notarii, qui in suo exercendo officio Regum edicta non servant, qui acta fideliter non exprimunt, sed aut illa mutilant, aut illis aliquid addunt; qui actorum Libros celant, & horum exemplaria dare negant, & præsertim Ecclesiæ legata: hi damna refarcire debent, quæ ex ipsorum infidelitate aut ignorantia promanant.

C A P U T III.

Restitutio tabelliones, apparitores, & testes obligans.

Tabelliones, qui ultra taxas a Principis aut Parlamenti edictis præscriptas aliquid exigunt, ad restitutionem tenentur; quando item in conficiendis apographis non tot in foliis singulis lineas, nec tot in singulis lineis voces conscribunt, sicuti debent; vel cum longa & superflua verba iisdem interferunt; si petita apographa tradere differunt, ex qua dilatione litigantes damnum patiantur, restituere pariter debent.

Apparitores, qui falsas denuntiationes faciunt, aut veras absque debita diligentia faciunt, aut data opera efficiunt, ut actus nullitate laboret: aut qui in bonorum obligatione aliquid celant, aut vili vendunt pretio, damnum inde secutum sarcire tenentur.

Testes juridice vocati, qui reddere testimonium recusant, aut veritati contrarium reddunt, damnum hinc obveniens refarcire debent, quidquid contra novi aliqui Casuistæ dicant. Etenim privati homines Judicibus, a Principe pro tuenda

da justitia constitutis, obtemperare tenentur; & eorum silentium vel mendacium alteri damnum adfert, quod ex caritate & munere, quo fuguntur, debent impedire.

Qui certo scit falsum suum testimonium morti rei aut mutilationi causam non dedisse, sed ex falso aliorum testimonio illum fuisse damnatum, a restituendi onere pro rata sua non esset exemptus: quæ rata a piis prudentibusque viris est stabilienda, qui veras firmasque sequuntur doctrinas, non novas, quæ peccatores ab omni liberare onere nituntur.

Si pro falso reddendo testimonio aliquis pecuniam accepit, hanc debet restituere, si falsum præstiterit testimonium, si non præstiterit; si enim illud non præstiterit, jus nullum habet aliquid exigendi; si vero præstiterit, non potest ex iniquitate sua lucrum reportare, licet falsum asserendo alteri obsecutus fuerit, & ipse in aliquod se discrimen conjecerit: hoc siquidem pacto peccatum indirecè venderetur, quod est infra quodcumque pretium; ex alia autem parte cautio nimia esse nulla potest, qua falsa testimonia coerceantur.

C A P U T IV.

Restitutio vectigalium Conductores, Municipales, & Publicanos stringens.

Vectigalium conductores restituere tenentur, si quid ultra taxam exigunt, aut quidquam pro exemptis mercibus. At quoniam ægre admodum